



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO PRIMA
in Augustanam Confessionem

De
DEO UNO ET
TRINO,

loco ordinariae
Publice

*IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
proposita*

P R Æ S I D E


JACOBO MARTINI, SS. Th.
Doctore & Professore Publ.

RESPONDENTE

M. JOHANNES BORNEMAN

Halberst. Saxone.

*In Auditorio majori ad diem 31. Julij
horis matutinis.*



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M. DC. XXVIII.

DISPUTATIO
in Augustanae Confessionis
DEO UNO ET
TRINO

loco ordinarius
In Academia Wittenbergensi
P R A E S I D E
ALEXANDRO MARTINI S. T. P.
Dagore & Professore Publ.
M. JOHANNES BORNEMAN

Halberst. Saxon.
In Aedibus Majoribus ad diem 2. Julii
WITTENBERGAE
Typis Hieronymi SALOMONIS AFRASCH.
Anno MDCXXVIII





DISPUTATIO PRIMA
IN AUGUSTANAM CONFESIONEM.

Prooemium.

Qui Commentariis suis illustant Augu-
stanam Confessionem, illorum moris
est, ut certa prolegomena, quaestiones
de symboli hujus nostri autoribus &
autoritate, de sensu & intellectu vero,
de ejus mutatione & similibus, conti-
nentia & exponentia praemittant: Quum vero, im-
praesentiarum instituti nostri non sit conscribere com-
mentaria; sed fidei nostrae articulos succinctis com-
prehensos thesibus, hoc publico, & subsequentibus
privatis exercitiis, ad disputandum proponere, & vero
ad hoc consequendum, quin in ipsa statim adyta nos
recipiamus, nihil impediatur, non est, cur in vestibulo
& peristyliis diu praestolemur, & immoremur. Qua-
re sine ullis ambagibus in nomine Jesu Rem ipsam
aggredimur. Quum vero in doctrinam Christianam duo
summatim generalia capita constitui possint; utique &
symbolum hoc nostrum commodè in eadem dividi-
tur: 1. γνώσι θεόν. 2. γνώσι σεαυτὸν. In Primo articulo, de-
primo: in caeteris, de altero agitur.

THESES I.

Articulus Primus est de DEO Uno & primo, & ejus verba
haec sunt: *Ecclesiae magno consensu apud nos docent, decretum
Nicenae Synodi, de unitate essentiae divinae, de tribus personis, verum &
sine ulla dubitatione credendum esse: videlicet, quod sit una essentia
divina,*

divina, quæ & appellatur & est DEUS, æternus, incorporeus, impar-
tibilis, immensâ potentiâ, sapientiâ, bonitate: Creator & conser-
vator rerum omnium, visibilium & invisibilium: & tamen tres sint
personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & nomine personæ utun-
tur eâ significatione, quæ usi sunt in hac causa scriptores Ecclesiastici,
ut significet non partem, aut qualitatem in alio, sed quod propriè sub-
sistit. Damnant omnes hæreses contra hunc articulum exortas, ut
Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum: item
Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, & omnes
horum similes. Damnant & Samosatenos veteres & neotericos, qui,
cum tantum unam personam esse contendant, de Verbo & de Spiritu
Sancto astutè & impiè rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ,
sed quod Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum in re-
bus creatum.

II. Ubi in genere notandum, primùm Articulum hunc
cum nonnullis aliis à Pontificiis receptum, & approbatum esse,
adeò, ut Alphonsus Cæsaris Cancellarius Hispanicus Augustæ
in Comitibus ad Melanchthonem dixerit: *Longè aliter, Philippe, in
Hispaniâ de vobis fama tulit, quàm ex confessione vestra intelleximus.
Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem: de Christo & Maria
impiè loqui: sacramenta corrumpere, cœnam Dominicam convivii
profani more administrare, magistratum contemnere, libidines sta-
bilire.*

III. Subsequentibus verò temporibus, Pontificii scripto-
res (ipsorum & cum primis Jesuitarum malitia subinde magis
magisq; crescente) fraudulentè factum hoc criminati sunt, ni-
mirum ut augusti istius, & minime controversi Articuli specio-
sâ præmissione, fucatè se in multorum benevolentiam confes-
sio cum suis confessoribus insinuaret.

IV. Verum enim verò ab istiusmodi fuci suspicione apud
bonos & æquos universos liberabit confessores candor & inte-
gritas, tantum non toti orbi perspectissima.

V. Causa autem, ob quam articulus hic primo loco po-
situs, duplex fuit. I. *ἐξ ὀφείλει*: Utenim Deus principium est
omnium rerum, & pater ille luminum, à quo omnis donatio
bona & omne donum perfectum descendit, *Jacob. 1. vers. 17.* ita
etiam

etiam jubet nos pietas à Deo magnarum rerum primordia capere, & sic cum primis confessionis nostræ fidei, ab illo ipso benignissimo Deo nostro, beneficiisque abundanter in nos collatis, eoque ostendere, nobis juxta præceptum Paulinum, *1. Cor. 10. v. 31.* gloria DEI nihil prius nihil posterius esse.

VI. Altera causa fuit ἀπολογία. Nam licet tum inter partes dissidentes de doctrina hujus articuli publicè fuerit consensus, quantis nihilominus Ecclesiarum protestantium doctrina apud adversarios onerata fuerit calumniis, quasi articuli hujus veritatem prorsus evertisset, negatoque Sacrosanctæ Trinitatis mysterio, merum Ethnicismum in Ecclesiam invexisset, patet ex verbis Cancellarii modò allegatis. Hujus ergo injuriæ sanè maximæ & mendacii crassissimi vanitas, pro Ecclesiarum nostrarum innocentia tuenda inevitabili necessitate initiò statim revelanda & redarguenda fuit.

VII. Et sanè ex eventu, si rem pensiculemus, aliter statuere non possumus, id singulari providentia & προνοία divina ita factum esse. Quandoquidem prævidit Spiritus Sanctus malitiam & impietatem Jesuitarum, ut Bellarmini, Gregorii de Valentia, & aliorum, qui sine fronte & pudore suis persuadere non erubescunt, Lutherum & Lutheranos veram Christi divinitatem, & Sacrosanctam Trinitatem cum Arianis, Georgio Blandrata & aliis antitrinitariis detestari: id verò crassissimū mendacium esse, hic ipse articulus evincit, ut infra pluribus demonstrabitur.

VIII. Alterum, quod hic præmonendum duximus, est, in articulo hoc, editione anno 1540. à Philippo Melanchthone evulgatā, nihil mutatum, sed ejus descriptionem similem sui esse, & semper mansisse.

IX. Cæterum articulus hic bipartitus est: constat enim ἑστὶν, & ἀντιθέσθ.

X. Prima pars rursus bimebris est: Confitentur enim ore & corde universæ Ecclesiæ potestantium juxta decretum Synodi Nicænæ primū Essentiæ DEI unitatem: Deinde Personarum Trinitatem.

XI. Notanter dicimus .i. Articulum hanc ore & corde univ^{er}ſas Eccleſias Proteſtantium cofiteri, Deum unum & Trinum: Quandoquidem id dicit ipſa confeſſio his verbis: *Eccleſia magno conſenſu apud nos docet*: eoque oſtendit, doctrinam hanc, ejuſq; confeſſionem non eſſe alicujus privati vel Doct^{or}is vel miniſtri, ſed Eccleſiarum omnium, quarum nomine confeſſio hæc exhibita fuit.

XII. Deinde addimus: *juxta Synodum Nycenam*, idque eſt, quod Confeſſio dicit, *Decretum Synodi Nycenæ de unitate eſſentiæ divinæ, de tribus perſonis, verum & ſine ulla dubitatione credendum eſſe*. Quo proteſtantes Eccleſiæ conſtantiffimum catholicæ Eccleſiæ conſenſum allegant.

XIII. Symbolum enim hoc à trecentis & octodecim Episcopis in Urbe Bithyniæ Nicæa die 20. Maij à Constantino Magno Imperatore adverſus Arium, negantem Chriſti æternam Deitatem, congregatis, eſt conditum, & poſtmodum (quod, quæ in illo proponuntur, ex ſcriptura ſacra, quæ unica ac prima omnis divinæ veritatis regula eſt, ſint repetita omnia) ab univ^{er}ſa Eccleſia, tam Latina, quàm Græcâ receptum, proindeq; commune ſymbolum totius Eccleſiæ, per univerſum orbem diſperſæ, factum.

XIV. Prima ergò pars *θεός* hujus articuli juxta ſymbolum Nicænum, & ſic juxta ſacram ſcripturam, ex qua illud derivatum, eſt confeſſio unius Eſſentiæ divinæ.

XV. Eſſentia Græcis eſt *οὐσία*: quæ Latinis Subſtantia & eſſentia vertitur, tam à Theologis, quàm ſecularibus.

XVI. Hinc Interpretes Ariſtotelis, qui *κατηγορίαν πρῶτην* facit *οὐσίας*, non vertunt Eſſentiam, ſed ſubſtantiam.

XVII. Theologi & quidem Orthodoxi Patres diſtinguunt inter ſubſtantiam & Eſſentiam. Nam ſubſtantiam DEO non propriè, ſed abuſivè, propriè verò creatis ſubſiſtentibus: Eſſentiam contra abuſivè creatis ſubſiſtentibus; propriè verò DEO, tribuunt.

XVIII. Sic enim Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. tom. 3. de ſubſtantia diſſerit: *Sicut ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia; ita ab eo, quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus, ſi tamen dignum*

dignum est, ut Deus dicatur subsistere. Hoc enim de his rebus rectè intelligitur, in quibus, ut subjectis sunt ea, quæ in aliquo subjecto esse dicuntur: sicut in corpore color aut forma. Corpus enim subsistit, & ideo substantia est. Res verò mutabiles, neque simplices proprie dicuntur substantiæ; Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid, tanquam in subjecto, & non est simplex. Nefas est autem dicere, ut subsistat Deus, & subsit bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas suæ, sed in illo sit, tanquam in subjecto. Unde manifestum est. Deum abusive substantiam vocari.

XIX. De essentia verò Hieronymus in Epistola ad Damasum tom. 3. pag. 131. sic loquitur: Una est Dei & sola natura, quæ verè est: cetera, quæ creata sunt, etsi videntur esse, non sunt: quia aliquando non fuerunt: & potest rursus non esse, quod non fuit. Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentia nomen verè tenet. Idem quoque Augustinus loco allegato sentit, inquiens: Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiores intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim verè solus: quia incommunicabilis est.

XX. Cæterum essentiæ vox, licet secundum tot literas & syllabas in scripturis non reperiatur, proindeque non tam scripturæ, quam Ecclesiæ esse videatur: in utraque tamen fundamentali, Græca & Hebræa, lingua, originaliter inest.

XXI. Mosi enim sciscitanti nomen summi Dei, responderetur ex ardenti rubo Exod. 3. vers. 14. אֲהִיָּה אֲשֶׁר אֲהִיָּה. Et rursus אֲהִיָּה misit me ad vos. Jam verò ab אֲהִיָּה sive אֲהִיָּה, fuit, derivatur nomen Dei essentiale אֲהִיָּה de quo Dominus Exod. 6. v. 3. Ad Mosen Apparui ipsi Abraham, Isaac & Jacob in Deo omnipotente: at in nomine meo Jehova non sum cognitus eis Quod nomen ipsa Essentia simul & essentiator commodè verti posse videtur.

XXII. Consentit Hieronymus, qui etiam ex loco hoc essentiæ vocem derivat & Deo tribuit, quando in allegata Epistola sic pergit: Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Idcirco & ad Mosen de rubo loquitur:

Ego

Ego sum, qui sum. Et rursus: Qui est, me misit. Erant utiq, tunc angeli, cælum, terra, maria. Et quomodo commune nomen essentiae propriè sibi vendicat Deus? Sed quia illa sola natura est perfecta, & in tribus personis Deitas una subsistit, quæ est verè, & una natura est: quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostasès, id est, usias dicit: sub nomine pietatis, tres naturas conatur asserere. Et si ita est; cur ab Ario parietibus separamur perfidia copulati? &c.

XXIII. Sic Apocal. i. v. 8. Ἐγὼ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ κύριος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ πάντων κρηττώρ. Hinc rectè Cyrillus Dial. i. de Trinit. Quia, inquit, Deus in Apocalypsi de se dicit, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν & bona Grammatica ratione ἀπὸ τῆς εἰμὶ formatur ῥαῖα: ideo vocabulum ῥαῖας, non omninò alienum & peregrinum est à divinis scripturis. Quod verò Quintilianus essentiam vertit: utpote quod ab Esse derivatur, ut illud ab εἶναι.

XXIV. Porro secundum essentiam, Deo tribuitur unitas sive unum, & quidem duobus modis: Affirmativè & Exclufivè: sed diversimodè,

XXV. Nam priore modo Unum non duntaxat de Deo, sed de qualibet alia re sub Deo affirmamus, quod sit una sive unum quid: quippe quod in hac significatione non negat vel removet alia similia ejusdem naturæ, generis vel speciei; sed duntaxat negat divisionem & sic multiplicatam in ipsa re, quæ una dicitur; & ponit distinctionem, seu divisionem ab aliis. Sic enim & Paulus est unus, licet plures sint homines: sic Bucephalus fuit unus, licet sint & semper fuerint plures equi.

XXVI. Hoc modo Deum Unum esse per se notum est: quia in se indivisus est, simplicissimus est, & planè impartibilis: ab aliis etiam divisus sive distinctus; quia sibi propria & particularis essentia est.

XXVII. Posteriore modo unitas Dei solius Dei est: sic enim, unum excludit consortium aliorum similium: sicuti Sol dicitur unus, quia plures soles non dantur. Quia igitur præter verum Deum, nullus est alius Deus similis, rectè etiam Deus exclusivè unus dicitur.

XXIX. Ur-

XXVIII. Utraque ergo unitas, Deo necessariò attribuen-
da est, proinde necessariò singulariter & individuè unus erit,
cum hæc unitas sit omnium maxima & perfectissima: & verò ni-
hil, nisi perfectissimum in Deum cadat, ejque sit tribuendum.

XXIX. Unitas hæc Dei aliquo modo naturâ est nota; ma-
nifestissimè verò & clarissimè in scriptura sancta ab ipso Deo
de se ipso asseritur & probatur. Deut. 4. v. 35. *Jehova Deus est, &
non est alius præter eum.* Ibidem cap. 6. vers. 4. *Audi Israel Jeho-
va Deus noster, Jehova unus est.* Ibid. cap. 32. vers. 39. *Videte nunc,
quod ego, ego sum, & non sunt dii mecum.* Esa. 44. vers. 6, 1. Cor. 8.
vers. 4. &c.

XXX. Unius hujus divinæ essentiæ attributa præcipua re-
censentur in Articulo hoc primo: quæ respectu Dei & in Deo
sunt simpliciter idem cum essentia divina, proindeque non mul-
ta, sed ut essentia, sic & ipsa simplicissima unitas: plura dicun-
tur respectu nostri, qui ipsorū partim effecta diversa in creaturis
observamus & scrutamur; partim etiam propter conceptionem
diversam: quâ homines ipsam divinam essentiam diversimodè
apprehendimus, nempe ut spiritualement, respectu τὸ εἶδος ipsi-
us essentiæ: æternam partim respectu durationis; cum æterni-
tas nihil aliud sit, quàm existentia simpliciter durans: partim
respectu initii & finis remotorum: cum etiam æternum fini-
atur, quod ἀπὸ λῶς principio & fine caret: indivisibilem & sim-
plicissimam, respectu unitatis absolutæ, simpliciterque perfe-
ctæ: atque sic alio conceptu ipsam essentiam, alio potentiam,
aliò justitiam, alio intellectum, alio voluntatem, aliis cætera
attributa menti infigimus, nequaquam quod ab essentia divina
& inter se, ut in Deo sunt, vel re vel ratione differant; sed quod
à nobis, per diversas actiones concipiantur: In Deo enim tan-
tūm actu est unus conceptus objectivus licet multi sint virtute
seu eminenter, ut Scholastici rectè loquuntur.

XXXI. Horum attributorum, quædam de Deo dicuntur
affirmativè; quædam negativè.

XXXII. Negativè de Deo dicitur 1. Quod sit incorpore-
us. Est enim Deus Spiritus, *Johan. 4. vers. 24.* qui carnem & of-
sa, & sic corpus non habet *Luc. 24. v. 39.* proindeque nec mem-
bra

B

bra

bra corporea. Quæ ergo, quando in scripturis Deo tribuuntur, per ἀνθρωποπείθειαν peculiares Dei actiones notant: ut oculus, omniscientiam, providentiam: dextera, potentiam: sedere, auctoritatem: stare: fortitudinem, descendere, singularem præsentia manifestationem. Quando apparuit, hominibus formam externam assumpsit.

XXXIII. Turpissimè ergo in hoc attributo lapsi sunt hæretici, quos Epiphanius hæ. 70. AUDIANOS; Augustinus lib. 50. hæ. 86. VADIANOS; Historia tripart. lib. 10. cap. 7. ἀνθρωπομορφίτας appellat, quique Deum corporeum statuerunt, uti etiam in illa sententia Tertullianus fuisse creditur. Æquè turpiter hallucinatur Conradus Vorstius, cum in tractatu suo de Deo & attributis divinis pag. 239. Deum omnis veræ quantitatis expertem esse negat, ipsique propriè & rectè locum & localem præsentiam attribui posse, affirmat p. 235 & 239.

XXXIV. Secundum negativum attributum est, quod dicitur Deus impartibilis: quo summa Dei simplicitas notatur: nihil enim est in Deo, propriè & accuratè loquendo, quod non sit ipse Deus. Sic personæ non sunt tantùm aliquid Dei; neque characteristicæ personæ sunt tantùm aliquid Dei; neque decreta, mente divina ab æterno concepta, sunt tantùm aliquid Dei: sed & hæc & illæ sunt ipsa simplicissima & impartibilis essentia divina, & sic ipse indivisus Deus. Sic enim illa (monente Augustino de Trinit. lib. 6. cap. 4.) sunt accipienda, ut Deo esse hoc sit, quod est bonum, sapientem, fortem, justum esse, quia essentia in Deo mera & summa est simplicitas:

XXXV. Tertium est, quod Deus dicitur, immensus, infinitus & quidem in se ipso: atque ideo non expansione aliqua vel extensione; ullave alia Physica ratione 1. Reg. 8. v. 27. Jerem. 23. v. 24. Esa. 66. v. 1. Act. 17. v. 28.

XXXVI. Affirmativè de Deo prædicatur, quod sit I. ÆTERNUS: cum principium habeat nullum, neque finem unquam sit habiturus, Gen. 21. v. 33. Psal. 90. v. 2. Psal. 92. v. 9. Esa. 41. v. 4. Esa. 43. v. 10. cap. 57. vers. 15. cap. 63. vers. 16. Rom. 16. v. 25. II. OMNIPOTENS. Nam potentia sequitur Essentiam. Hæc autem quia infinita est, utique

utique etiam potentia : infinita verò potentia est omnipoten-
tia. *Gen. 17. v. 2. Gen. 18. v. 14 cap. 28. v. 3. Exod. 6. v. 3. Esa. 50. vers. 2.*
Jerem. 32. v. 17. & 27. Matth. 19. vers. 26. Luc. 1. v. 17. Ephes. 3. vers. 20.
III. SAPIENS *1. Tim. 1. vers. 27. Job. 9. v. 4. cap. 12. v. 13. Dan. 2. v. 21.*
Hinc etiam dicitur καὶ ἰσοϋωσίας *1. Reg. 8. vers. 39.* IV. BONUS,
nempe per essentiam ; sic enim solus Deus Bonus est *Matth. 19. v.*
17. Marc. 10. v. 18. Luc. 18. vers. 19. Creaturæ tantum sunt bonæ per
participationem : Unde quoque *beneficus* dicitur Deus & *beni-*
gnus : quod mundi creatio conservatioque & cum primis ge-
neris humani restauratio, adeoque quod quicquid fecit, est valde
bonum, *Gen. 1. vers. ult.* abundè satis demonstrant.

XXXVII. Præter hæc præcipua Dei attributa adhuc in
scripturis occurrunt alia, utpote *justitia.* *Psal. 116. vers. 5. Psal.*
119. vers. 139. Esa. 45. v. 21. Rom. 3. v. 4. cap. 9. v. 14. Dilectio Johan.
3. v. 16. Charitas. 1. Johan. 4. v. 9. Misericordia Num. 14. v. 13. Exod. 34.
v. 6. Psal. 86. v. 5. Psal. 103. v. 8. Esa. 49. v. 15. Jerem. 31. v. 20. Luc. 6. v.
36. Veritas, Num. 23. v. 19. Deut. 32. v. 4. 1. Sam. 15. v. 29. Rom. 3. v. 3.
Tit. 1. v. 2. Hebr. 6. v. 18. &c.

XXXVIII. Nomina quoque affectuum, ut *ira, odium, fu-*
ror &c. Deo tribuuntur, sed tantum per ἀνθρώπων πάθειαν,
non quod Deo insint (sunt enim accidentia, quæ in Deum non
cadunt) sed quod nobis videantur Deo inesse propter similitudinem
hominum affectuum effecta, quæ in creaturis producuntur.
Hactenus de Unitate Essentiæ divinæ, & sic de prima parte Ἰε-
σεως Articuli primi.

XXXIX. Sequitur pars altera de Sacrosancta Trinitate.
Ut enim Deus essentia Unus est, sic trinus personis in Articulo
nostro finitur : quæ sunt *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.*

XL. Ubi initio tenendum est, Dei, Deitatis, & Essentiæ
divinæ vocabula re nihil profus differre, sed σὺν ὀνόματι Gram-
matica esse, quamvis Dei appellatio sæpè non ἁπλοῶς sed ὑπο-
στυλιζομένη usurpetur.

XLI. Deinde quemadmodum ἁπλοῦς, sic quoque Triadis,
ὑποστυλιζομένη, personæ, ὁμοούσιος totidem literis (si ὑποστυλιζομένη vo-
cem excipias) in sacro codice quidem scripta non extant; quia

verò ad hæreticorum fraudes & præstigias patefaciendas, lubricosque sophistas constringendos prudenter olim reperta, utiliterque hætenus usurpata fuerunt, acres ipsæ in scripturis manifestè continentur; non sine *Φιλονεικίας καὶ ἀθαδείας* suspicionem repudiari possunt ab illis, qui doctrinæ huic assentiri se profitentur.

XLII. Triadis sive Trinitatis vocis primitivum ac sic originem habemus i. Johan. 5.v. 7. Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo: *ὁ πατήρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα: καὶ ἄρα ὁ. Τρεῖς ἐν εἰσι:* Quare terminus hic nequaquam à scriptura alienus est.

XLIII. De Hypostasi quæstio movetur, an ab *ἁσία* ita possit distingui, ut distinguitur *προσωπον* sive persona ab *ἁσία* sive essentia. Negat id Hieronymus loco ante allegato, nempe in epistola ad Damasum: *Tota*, inquit, *secularium literarum schola nihil aliud hypostasin, nisi usiam novit.* Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias predicabit? *Una est Dei & solius natura, quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, quod suum est.* Et mox: *Quia ille sola natura est perfecta, & in tribus personis Deitas una subsistit, quæ est verè & una natura: quisquæ tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est usias, dicit; sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere.* Verùm hodiè, ut & apud priscos Græcos vocabula hæc *ἁσία* & *ὑπόστασις* discernuntur, ut illud unam notet essentiam, hoc quamlibet personam significet.

XLIV. Ut autem *ἁσία* una est, sic personis communis est, ita ut personæ sint illa ipsa *ἁσία*, quæ in singulis personis est tota; ipsæ verò relationibus sive proprietatibus *χαρακτηριστικῶς* inter se sunt distinctæ: quæ proprietates *διακριτικαί*, ut Damascenus loquitur sunt diversi *τρόποι ὑπάρξεως*, quibus nec essentia in personas dividitur, neque personæ in essentia separantur, sed ita mysticè distinguuntur, ut una sit non altera.

XLV. Tres Sacrosanctæ Triadis personæ quia, ut diximus, unam communem indivisam & sic eandem non similem inter se habent *ἁσίαν* sive essentiam, non *συνἁσισι*, non *ομοἁσισι*, sed *ἑμοἁσισι* in synodo Nicena definitæ sunt: Interim *ἑνωτικῆς ἁσίας* nullam *ἀσέζισιν* vel confusionem importat. Quandoquæ

do quidem *χαρακτηριστικὰ* illæ proprietates ordinem duntaxat designant, dispares gradus non constituunt, ex quibus in æqualitas vel disparitas personarum consequatur.

XLVI. Ex quo porrò sequitur, tres illas personas non esse propriè loquendo numero distinctas. Non enim Trinitas illa est ternarius numerus, qui propter simplicissimam unitatem in Deum non cadit. Ternarius numerus tribus constat unitatibus, quæ necessariò sunt tres essentia, sive tria *ὄντα*: Quæ verò in hac Trinitate nequaquam dantur: quippe nihil significante aliud, quàm triū suppositorum unitatem essentialem, eamq; simplicissimam & absolutissimam: Non verò unitas, sed pluralitas, neque omnis, quæ dicitur pluralitas, sed tantùm rerum absolutarum facit numerum propriè sic dictum: non relativorum & sic personarum, in eadem simplici & absoluta natura existentium.

XLVII. Interim ut quantitas propter modum intelligendi nostrum (qui sine facultate *ἰσχυρισμῶν*, quæ rursus sine mediis corporeis nō in actum secundum se elevat, fieri nequit,) sic quoq; numerus, in latiore significatione interdum usurpatur, ut etiam rebus non quantis ac spiritualibus attribuat: quo modo ipsum Damascenus lib. 3. de fide orth. cap. 8. describit, *quod sit rerum differentium, & quo modo ille sint differentes, eo quoq; modo numerentur.*

XLVIII. Eo pacto ac modo Deo numerum tribui, quodq; divinitatis personæ ternario contineantur dici posse, non negaverimus; nempe ut tantùm ad personas personalesque relationes, non verò ad essentialium unitatum (quæ in Deo nequaquam sunt) distinctionem referatur & juxta symbolum Athanasii statuatur: *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

XLIX. Trinitatem hanc constituunt tres personæ: *Pater, Filius, seu λόγος & Spiritus Sanctus.* Sic enim passim nominantur, in *Psal. 33. v. 6, Matth. 3. v. 16. & 17. & cap. 28. v. 19. Joh. 14. per tot. 1. Joh. 5. v. 7.*

L. Quomodo nomen personæ in hoc articulo sumatur, satis perspicuis verbis indicat Confessio: non ut significet partem, aut qualitatem in alio: sed quod propriè subsistit, ut illo usi sunt Ecclesiastici scriptores.

L I. Hi verò communiter personam sic describunt, quod sit *substantia sive subsistens individuum, intelligens, incommunicabile*. Thomas p. i. q. 29. art. 3. *persona*, inquit, *significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scil. subsistens in rationali natura.*

L II. Ad ejusmodi personam tria necessariò requiruntur. 1. Ut per se subsistat, nec sit in alio tanquam in subjecto. 2. ut sit intelligentis naturæ. 3. ut ab alia distinguatur, neq; de alia persona in casu recto prædicetur. Hæc tria ubi occurrunt, ibi perfecta persona est, illisq; observatis facile ad pleraque Vorstii & Photinianorum Sophismata respondetur.

L III. Persona itaq; rectè dicitur de Deo (longè verò excellentiore modo quàm de Creaturis) cum omne illud, quod perfectionis est, Deo sit tribuendum, eo, quod ejus essentia in se continet omnem perfectionem.

L IV. Cæterum personas in Deo tres esse diximus: quæ inter se quidem realiter differunt: Quandoquidem Pater non est Filius, Filius non est Pater, & Spiritus Sanctus neq; Pater neq; Filius est: à communi verò Deitate personæ hæ simul sumptæ, neque ratione, neq; re differunt: propterea quod Deitas tota nihil aliud sit, quàm Pater, Filius & Spiritus Sanctus: & e contra. Deitas autem à Patre singulatim, à Filio singulatim, & Spiritu S. singulatim, non quidem re ipsa, ratione tamen differt.

L V. Quælibet enim persona totam *ἀδιάρητον* Deitatem participat *ὀλικῶς*, aut, si ita mavis, est ipsa tota simplicissima Deitas: & eadem planè plenissima Deitate Pater est Deus, qua Filius, & eadem Filius, qua Pater; & eadem Spiritus S. qua Pater & Filius: neque omnes tres personæ simul sumptæ plus habent Deitatis, quàm Pater in se consideratus, vel Filius, vel etiam Spiritus Sanctus. O mysterium mysteriorum, quo nullum remotius à rationis humanæ captu abest.

L VI. Personæ hæ distinguuntur primum ad intra (hoc est, quatenus intra Dei essentiam considerantur, absq; ullo respectu ad creaturas) characteribus personalibus, qui singulas personas sive designant sive constituunt, & ab aliis distinguunt.

L VII. Damascenus lib., i. orth. fid. cap. 10. Patrem vocat *ἀγέννητον*: Filium dicit à Patre esse *γεννητῶς*: Spiritum Sanctum verò

verò ἐπιπροσβύτως. Unde colligunt quidam Patris characterem personalem esse ἀξυμνησίαν. Et Lombardus lib. i. distinct. 28. id demonstrare, quodq; aliter de Patre & aliter de Spiritu Sancto accipiatur, evincere contendit.

LVIII. Sed ad omnem evitandam ambiguitatem, dicimus Patris personalem Characterem esse, quod à nullo fit, sive (juxta Augustinum lib. de fide ad Petrum cap. i. & 2.) genuerit: filii, quod à Patre fit genitus sive, ut ibidem loquitur Augustinus, natus sit: Spiritus Sancti, quod à Patre & Filio ab æterno procedat: Atq; inde statim elucescit, personarum ordo: nempe quod Pater sit origo Trinitatis, ac proinde prima persona, quia solus à nullo est: Filius in ordine secunda: quia solus nascitur à Patre: & Spiritus Sanctus in ordine tertia: quia solus à Patre & Filio procedit: Quod verò non de ordine naturæ, vel temporis; sed tantum, ut patet, originis intellectum volumus. Quandoquidem ut in æternitatem non cadit tempus, & secundum illud prius & posterius, sic quoq; in simplicissimam illam naturæ & essentiæ unitatem nihil majus nihil minus: proindeq; totæ tres personæ sibi sunt coæternæ & coæquales, & verè ὁμοῦστοι dicuntur.

LIX. Deinde Personæ Trinitatis distinguuntur ad extra & relatè ad creaturas: quæ relatio fundatur in ordine agendi & operandi in creaturis. Hinc Pater est noster Creator: Filius, noster Redemptor: Spiritus Sanctus noster sanctificator: non quidem, quod Pater solus nos creaverit, vel filius solus nos redemerit, & Spiritus Sanctus nos solus sanctificet: quomodo enim solus: cum nullus solus sit? sed quod in distinctis operibus singulæ personæ distinctè & præcipuè sese manifestaverint, nempe Pater in opere Creationis: Filius in opere Redemptionis, & Spiritus Sanctus in opere sanctificationis, quod præstat in ministerio Evangelii.

LX. Alias in externis operibus revera concurrunt omnes personæ: Pater enim creavit omnia per Filium, tanquam suam naturalem & substantialem sapientiam, virtutem & potentiam: in Spiritu Sancto. Sic Pater misericordia erga genus humanum mortuus misit Filium factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut
nos,

ut nos, qui Legi eramus obnoxii redimeret, ut adoptione filio-
rum jus reciperemus. *Gal. 4. vers. 45.* in qua missione neque Spi-
ritus Sanctus otiosus fuit, sed unxit missum oleo læticiæ præ
confortibus *Psal. 45. vers. 7.* *Hebr. 1. v. 9.* & quidem sine mensura
Johan. 3. v. 34. Sic Spiritum Sanctum mittit Filius à Patre; qui
nihil loquitur à se ipso, sed quæcunque audit in Sacro sancto
Trinitatis concilio, loquitur & quæ à Christo accipit, annun-
ciat nobis, ducens nos in omnem veritatem, eaque nos imbuat
& sanctificat *Johan. 16. v. 13. 14. 15.*

LXI. Hinc in Scholis Theologorum orta est regula: *Opera
Trinitatis ad extra sunt indivisa: servato tamen discrimine & ordine
proprietas personalium:* Hoc est: Opera Dei externa, in creaturis
producta, consideratione absoluta non uni soli personæ, sed om-
nibus tribus, sine confusione tamen, tribuenda sunt: proin-
deque in illis ad extra, nominatâ unâ vel duabus personis, tota
Trinitas est intelligenda. Cujus ratio duplex redditur. 1. Quia,
ut una est essentia divina, ita quoque virtutis, qua opera illa ad
extra producuntur, *τῶν τῶν* est: nempe una eademque sapien-
tia, una bonitas, una majestas, una potestas. 2. Quia semper
mutuus personarum est respectus, & una persona non est sine
vel extra alteram: sed Pater est in Filio & Filius est in Patre: &
Spiritus Sanctus est mutuus amor inter Patrem & Filium: est e-
nim juxta *Thomam part. 1. q. 27. a. 3.* processio amoris, suntque si-
mul quod divinitas: & divinitas est illud ipsum, quod illi simul.
Quia ergo secundum divinitatem illa ad extra operatio; ergo
necesse est, ut à tribus simul personis proficiatur.

LXII. Quando Ergo scriptura, de una persona loquens, u-
titur particula exclusiva (ut *Matth. 11 v. 27.* *Johan. 17 v. 3.* *1. Cor.*
2. v. 11. &c.) nequaquam cæteras hypostasises à divinitatis *ὁμοῦσία*,
sed duntaxat idola & creaturas, excludit: atq; hinc etiam non
rarò contingit, ut una eademq; operatio nunc huic, nunc alteri
personæ tribuatur: sic vivificatio tribuitur Deo Patri *Johan. 5. v. 21.*
Rom. 8. v. 11. Deo itidem Filio. *Joh. 5. v. 21.* *1. Cor. 15. v. 22.* Uti etiam
Spiritu Sancto *Rom. 8. v. 14.* Sic Pater dicitur à mortuis suscitasse
Filius, & exaltasse, *Eph. 1. v. 4.* *Phil. 2.* *Psal. 110.* *Matth. 28.* Qui nihilo-
minus propria virtute resurrexit, & ad cælum adscendit, *Marc. 16.*
v. 19. *Rom. 1. v. 4.* *1. Cor. 15. v. 25.* *Phil. 3. v. ult. &c.* 63. Pa-

LXIII. Pater ergo, ut demonstratum, est Prima Persona. Ubi principio notandum, Patris hanc appellationem non semper de Persona, sed interdum quoque de essentia dici, haud secus ac Dei vocabulum non semper ἰσχωδῶς, sed aliquando ἰσοουλι-
κῶς usurpari novimus. Essentialiter autem plerunq; sumitur Patris verbum, cum divina humanis, æterna caducis, cœlestia terrenis opponuntur: Personaliter intelligitur, cum cæteræ personæ inter se componuntur, Filiiq; & Spiritus Sancti hypostases, ad Patrem tanquam ad utriusq; principium referuntur.

LXIV. Pater ego est prima persona sacrosanctæ Trinitatis, à nullo producta, sed tanquam fons Trinitatis ab æterno genuit Filium ὁμοῶς, imaginem & characterem sui, unaq; cum Filio spirat Spiritum Sanctum omnipotentem & consubstantialem. Hunc verum esse Deum nemo dubitat, sed omnes fatentur.

LXV. De generatione etiam hac, qua Pater ab æterno genuit Filium, dicimus, quod sit substantialis & non metaphorica: 1. quia est communicatio ejusdem essentia sive esse per productionem modo naturæ. 2. quia in communicatione illa fundatur vera paternitas & Filiatio. Distinguitur autem à generatione humana: 1. quod non sit effectio & sic novæ essentia, sed tantum alterius personæ, productio. 2. quod produciens communicet producto eandem naturam non duntaxat secundum speciem, sed eandem essentiam numero. Effectio verò novæ essentia, itemq; communicatio ejusdem essentia secundum speciem tantum, non sunt conditiones generationis, ut talis; sed ut finitorum. Horum enim generatio tantum importat exitum de potentia in actum: qualis generatio in divinis non datur: Sufficit ergo ad rationem generationis communicatio ejusdem naturæ secundum speciem MODO NATURÆ.

LXVI. Atq; hinc rectè conclusum esse putamus ab Herveo Britone dist. 4. q. 1. hunc in modum: *Ubi est productio, quâ produciens communicat producto eandem naturam secundum speciem, & multo plus ubi est communicatio ejusdem naturæ secundum numerum & modo naturæ, ibi est verè ac propriè generatio*: Atqui in divinis est productio, qua produciens communicat producto eandem naturam

C

NON

non tantum secundum speciem, sed omnino secundum numerum, & modo naturæ, Ergo in divinis est verè ac propriè generatio.

LXVII. Filius est secunda Persona SS. Trinitatis, à Patre ab æterno genita, λόγος videlicet, character & imago substantiæ Patris, proindeq; Patri consubstantialis, una cum Patre, uno quodam communi actu æternum spiritum spirans & producens: per quem Filium sive λόγον sunt omnia: quiq; in plenitudine temporis humanam naturam in unitatem suæ simplicissimæ ὑποστάσεως assumpsit, & incarnatus est, ut esset mediator humani generis.

LXVIII. Hic quæritur, an generatio ratione termini ad quem, nempe Filii, sit & propriè dicatur generatio passiva. Negamus. 1. Quia quicquid est in Deo, actus purus est, qui passionem permixtam nullo modo admittit. 2. Sic argumentamur: Nullius producti, quod est productum de substantia non producta, generatio dari ac dici potest passiva: Atqui Filius Dei est productus de substantia non producta: Ergo ejus generatio neque datur neque dici potest passiva. Major est certa; nam passio competit productæ personæ propter essentiam: Si ergo Essentia in generatione nihil patitur: neque Persona patitur: Essentia autem nihil patitur, quia non producitur ut in creaturis, sed tantum communicatur. Hinc Augustinus lib. de fide ad Petrum cap. 1. & 2. & ex illo Magister sententiarum lib. 1. dist. 26. B. ait: *Aliud est genuisse, quàm natum esse; aliudq; est procedere, quàm genuisse, vel natum esse.* Ubi studio pro genitum esse dicunt natum esse.

LXIX. Quando ergo quidam Theologi distinguunt inter generationem activam & passivam, illamq; Deo patri, hanc Filio tribuunt, faciunt illud κατ' ἀνθρώπου πάθειαν, modo loquendi nostro, ut ostendant, aliter generationem tribui Patri, & aliter Filio; non, quòd reverà passiva generatio competat divinæ personæ: ut ita passivè dicatur Filius genitus à Patre, sicut Isaac ab Abrahamo: sed quasi passivè.

LXX. Spiritus Sanctus est tertia Trinitatis persona, à Patre & Filio ineffabiliter procedens, utrique consubstantialis & æternus; in quo Pater per Filium omnia creat & conservat: quiq;

quiq; vivificat, & sanctificat corda credentium per verbum & Sacramenta, & autor est variorum donorum spiritualium & corporalium.

LXXI. In persona hæc processio, sive ἐκπόρευσις à generatione sive ἁγνότητι distinguenda est; Quandoquidem nullibi ἐκπόρευσις παρὰ τὸ πατρὸς tribuitur Filio, & nullibi ἁγνότης παρὰ πατρὸς Spiritui Sancto: sed caractere illo, ut alius à Patre & Filio distinguitur, *Johan. 14. v. 16. & 15. v. 26.* & quidem ut tertius *Matth. 28. v. 19. 1. Johan. 5. v. 7.*

LXXII. In discrimine hoc, ex sacris literis assignato, quiescere recusanti respondemus cum *Chrysostomo ex homil. de Spiritu Sancto adorando: Quod non est scriptum; non est sentiendum vel dicendum.* Conferatur *Augustinus lib. 3. adversus Maximinum Ariannum cap. 14. & Damascenus lib. 1. de Fid. orth. cap. 10.* & perpendatur illud *Exod. 33. v. 23. videbis posteriora; faciem autem meam videre non poteris:* & illud Pauli *1. Cor. 13. v. 12. ἀετι γνώσκω ἐκμέρους.*

LXXIII. Patrem Deum esse omnes fatentur: Filium Deum esse hodiè novi Hæretici & Photiniani inficiantur, & multæ aliæ controversiæ de eo moventur, de quibus in articulo tertio agemus.

LXXIV. De Spiritu Sancto verò probatur: Primum quod sit Deus, Patri & Filio æqualis. I. Quia in sacris literis expressè vocatur Deus. *2. Sam. 23. v. 3. Act. 5. v. 4. 1. Cor. 3. vers. 16. 17. cap. 12. v. 6.* II. Quia est creator *Psal. 33. v. 6. Psal. 104. v. 30.* III. Quia est ubique, *Psal. 139. v. 7. Sap. 1. v. 7.* IV. Quia omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, *1. Cor. 2. v. 10.* V. Quia in ipsius nomine baptisamur, *Matth. 28. v. 19.* VI. Quia in ipsum credimus, ut confitemur in symbolo.

LXXV. Quæ simul testimonia ostendunt Spiritum Sanctum esse ὑψιστάμωρον, non χάρισμα, vel qualitatem aut affectum duntaxat; Uti simul illud comprobatur ejus φανερώσις, cum assumpta & aspectabili forma conspiciendum se præbuit. *Matth. 3. v. 16. Act. 2. v. 3.* & evincunt idem attributa ipsius; quæ de persona necessariò intelliguntur: cum scriptura affirmat partes ejus esse, docere, gubernare, tueri, fovere, consolari Ecclesiam, Apostolos aliosq; ministros designare, oracula fundere, consilia fugge-

suggerere, dona distribuere &c. Tandem Apostolus autorem donorum, Spiritum, à donis ipsius manifestè distinguit. 1. Cor. 12. v. 8. & seqq.

LXXVI. Tandem ἐκπρόρευσις Spiritus Sancti non tantum à Patre esse, sed à Filio quoq; docet scriptura. Primò ubi eum vocat Spiritum oris & labiorum Christi *Esa. 11. 4.* Spiritum Filii Dei *Gal. 4. v. 6.* Spiritum Christi *Rom 8. v. 9.* Ut enim nulla potest causa alia assignari, ob quam Spiritus S. *Psal. 33.* nominetur Spiritus oris Jehovæ, hoc est, Dei Patris; quam quæ in scripturis pridem assignata est, nempe sic illum dici, quod ex ore essentiae Paternæ, tanquam spiraculum sive flatus, sed indissolubilis & ἐκπρόσει inenarrabili spiratione procedat: sic etiam nulla alia assignabitur causa, quod eodem modo Spiritus oris Christi dicatur, quam hæc ipsa: Quia nimirum Filius eum ex sua substantia spirando producat. Secundo ubi affirmat, eum à Filio non minus, quam à Patre dari *Joh. 20. v. 22.* *Joh. 15. v. 26.* Ubi dicitur Christus mittere Spiritum S. Ergo æternæ illius spirationis jure mittit. Terriò ubi ait, eum à Filio sapientiam accipere, quam revelet, *Joh. 16. v. 14, 15.* Cum enim Deus sit, sicut demonstratum est, non potest quicquam accipere, nisi ab eo, à quo est. Postremò id quoque ratio evincit: Quia Pater filio communicat omnia, in quibus ei non opponitur, *Joh. 16. v. 15.* at non opponitur ei, quæ spirat, sive Spiritum Sanctum emittit: sed tantum quæ gignit Filium: Ergo ἐνέγεια hæc utriq; est communis.

LXXVII. Ubi verò Filius processionem hanc ad Patrem revocat, ut *Joh. 15. v. 26.* principium sive originem illarum relationum respicit, quæ in personarum comparatione rectissimè Patri tribuitur: sic etiam ad Patrem referre solet Christus, quæ sibi quoque, utpote ὁμοσίου conveniunt; quia scilicet ab illo est λόγος: quemadmodum *Joh. 7. v. 16.* doctrinam suam negat esse suam, & *Joh. 5. v. 30.* & *cap. 6. v. 38.* negat itidem se quærere voluntatem suam, sed Patris, à quo missus est. Adhuc de Theoprimum hujus articuli.

SOLI DEO GLORIA.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092





SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO PRIMA
 am Confessionem
De
INO ET
INO,
 ordinariae
 Publicè
VVITTEBERGENSI
proposita
ESIDE
ARTINI,SS.Th.
 c Professore Publ.
 PONDENTE
NE BORNEMAN
 erst. Saxone.
ajori ad diem 31. Julij
is matutinis.
 TEBERGÆ
 LOMONIS AVERBACH,
 M. DC XXVIII.